

1550 = iē = 28 = Octobris.

197


Sigismundo I. Regi Poloniae  
Petrus Tomicki Episcopus  
Cracoviensis.

44

Sacra regia majestas et domine Do-  
mine clementissime. Post humilem  
servitutis et orationum mearum com-  
mendationem. Accepi hodie prima lu-  
ce literas Domini Episcopi Plocensis, qui  
brevibus verbis, quid illi Posnaniae  
agatur, in hanc sententiam mihi scri-  
psit, quod post inceptum a plerisque  
diebus negotium concordiae, usque huc  
in Proemio et persuasionibus tantum  
Domini Oratores versentur. Quodque  
jam tamen diu Hungari Decedendo  
regno ultimum ejusmodi Dederint re-  
sponsum quod id ne cogitari quidem  
debeat.

De alijs vero et de pace Serenissi-  
mi regis Ferdinandi a Turco scribit  
Dominus Episcopus illos ita respondisse,  
quod habeant modos utiles, et honestos  
modo prius audirent, quid sibi de cer-  
ta concordia polliceri possent, super  
quo deliberare voluerunt Serenissimi Re-  
gis Ferdinandi Oratores, sed in hoc se

vereri



vereri Dominus Episcopus scribit, ne  
ista deliberatione, et verbis ducere tan-  
tum modo et terere tempus velint, usq-  
dum certiorem fiant, quid spei exitus Au-  
gustentis dieta polliceri illis possit. Somni-  
ant si quidem expeditionem generalem  
et alia multa. Sed tamen Dominus  
Episcopus scribit aliquid suggessisse illos  
De faciendis inducijs De quibus contenti  
sunt Domini Consiliarij Majestatis  
Vestrae, si modo Domini Hungari vel-  
lent, vel possent illis assentiri. Haec  
ego Majestatis Vestrae ita, ut ipse accepi  
declarare volui, ut interea, quod alia  
afferuntur certiora in his cogitatio-  
nem pro bono publico exercere possit.  
Commendo me rursus et servitatem  
meam in gratiam Majestatis Vestrae  
Serenissime quam cum Serenissima  
conjugae sua et omnibus augustissimis  
liberis, felicissimam semper et optime  
salvam esse vehementer Desidero. Da-  
tum Craeviae Die Vigesima octa-  
va Mensis Octobris. Anno Domi-  
ni Millesimo Quingentesimo Trige-  
simo.